

praefert, olim *M. Pauli Wann de Kemnat* Can. deinceps *Passaviensis* et Ecclesiasticae celebris, de quo alibi dictum, I. continet Enumerationem, *De quo quilibet psalmus intelligatur literaliter, de quo moraliter aut mystice*. Ita: *Beatus vir qui non abiit. Iste psalmus est de christi suae de viri iusti persecutione* &c. Psalmi in *Quinquagenas* distributi sunt, quibus in fine *Cantica V. T.* adjunguntur.

Fol. 22. p. 2. incipiunt *Adversaria* ex omni Theologia congesta, praecipue *Quaestiones decifae* et suis *rationibus fultae*, *Theses expositae*, *Excerpta e Scriptis variorum PP. Homiletarum* et *Professorum*, quam sibi *Supellectilem* in vitam reliquam parasse videtur praefatus *Paulus Wann*, dum sacris se studiis apud nos excoleret. Nam saepius et ejus nomen occurrit v. g. *fol. 29.* ad quasdam *de judicando Proximo* *Quaestiones* adscriptum est: *1450. respondit M. Paulus de kemnaten*, et variorum sparsim *Doctorum Vindobon.* fit mentio, puta: *Narcissi de Perching*, *Johannis (Widmann) de Dinkelspühl*, *Thomae de Wuldersdarff*, *Joh. de Titmaning*, *Conradi Salder*, *Wolfg. de Egenburga*, *Andr. de Pottenbrun*, *Leonh. (Huntpichler O. P.) de valle brichsien.* &c. qui omnes non semel in his *Commentariis* memorantur.

Fol. 331. *Tractatus pro intellectu juris.* Init: *Sciendum quod corpus iuris diuiditur in ius canonicum et ius civile. Et ius canonicum diuiditur in Decretum et De-*

cretales &c. Et sic ulterius *notitia Partium, Autorum, Commentatorum, Doctorum, Abbreviationum, cum Versibus memorialibus, qui etiam vetustis Editionibus Juris Can. praemittuntur.* Non desunt lapsus. Ita: *Gratianus monachus ordinis predicatorum penitentiarius pape fuit compositor Decreti. Raymundum de Pennafort et Decretales dicere oportebat; Gratianum enim O. S. Bened. fuisse, nemo jam nescit, nisi fortasse Bibliopola ille, qui, cum Decretum edidisse legeret, Imperatorem fecit.*

CXLVI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 71
XIV. Folior. 279. 4. minutius, multisque compendiis exaratus et rubricis distinctus hunc a coeva manu in theca Titulum praefert: Moralitates super libros sapientiales et prophetarum. Atque reipsa breves adnotationes in praedictos Libros hoc ordine se consequuntur; In Ecclesiasticum, Ecclesiasten, Sapientiam, Parabolas et Cantica, dein in Joel, Amos, Abdiam, Jonam, Micheam, Naum, Abacuc et Oseam. Ingressus in Ecclesiasticum est hujusmodi: In medio ecclesie aperuit os eius. ecc. 15. prouisor et gubernator communitatis tempore habundancie bona recondit et congregat &c. Ad calcem legitur: Explicit super ecclesiasticum post fratrem Jacobum. Quisnam hic frater? Est is Jacobus ab urbe patria dictus de Lusanna sive Lusanna Ord. Praed. qui

qui Provincialis, ut vocant, *Franciae* obiit a. 1321. relictis *Moralitatibus* in S. Biblia, sive, ut volunt Ordinis Bibliothecarii T. I. p. 548. *Postillis*, e quibus postea *Moralitates* excerptae fuerint. Id, quod veri simile fit cum e *Codicibus mss.* quos ibidem excitant, tum e formula nostra: *post fratrem Jacobum*, quasi dicas, spicas in ejus agro lectas. Convalescit id e collatione; adjacet enim mihi Editio perrara *Operis Moralitatum preclarissimi Fratris Jacobi de Lusanna &c. Lemouicis 1528. 8.* ad cujus calcem hae *Moralitates a Postillis excerte* dicuntur. Quamvis vero non idem hujus Editionis, ac nostri Exempli Excerptor fuerit, manifeste tamen adparet, utrumque suas in eodem agro spicas legisse. *Postillae* ipsae lucem nunquam videre, neque integrum earum Exemplar nactus fuisse videtur *Lemovicensis* Editor ille, qui *Moralitates in Prophetas minores* omiserit, quibus pollet Codex noster a fol. 219. Quamvis, ne quid dissimulem, et *Joel* initio, et *Habacuc* fine, et *Osee* utrinque mulctatus sit. Quam parum etiam Noster dissimulaverit, argumento fit Conclusio *Proverb. fol. 209. Sic multi intrant ovile ecclesie per multas fraudes, sed cum optinent, bonos opprimunt et sepeliunt, malos exaltant et nutriunt. Nota de milite normanno, qui uerberabat (canes) leporarios et defendebat lupum contra eos. Nota truffam (Joecum) et applica. Item Conclusio Habacuc fol. 268. p. 2. Ecce iste coopertus est auro et argento.*

Et omnis spiritus non est in uisceribus eius. Hoc potest dici de multis in ecclesia. Cooperti sunt auro et argento propter dignitatem quam habent et tamen nil spiritualitatis habent in se. Nota factum 1. Reg. 19. quomodo nuncii regis contenderunt invenire david. Et inuenerunt statuum et pellem pilosam caprarum ad caput eius et hoc totum fecerat michol. applica ad canonicos et prebendatos in ecclesia.

CXLVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 29. Folior. 418. f. per duas columnas bene scriptus et rubricis distinctus e memorati *M. Thomae Wulfel de Wuldersdorf* Legato continet *Nicolai de Lira O. M. Postillas in Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Sapientiam, Ecclesiasticum et Psalterium.* Ad oram infimam p. ult. ego *sigismundus* (Puchperger) *finivi martini 1454.* Saepius has *Postillas* et serosum, et cum *Bibliis* glossatis typis vulgatas fuisse, jam non semel diximus.

CXLVIII.

Codex chartaceus membranis U. 37. immixtis lat. Sec. XV. Folior. 412. f. per duas columnas probe scriptus et rubricis distinctus, legatusque olim a noto *Thoma Haselbachio* Collegio Ducali *Vien.* ut praevis notatum est, hunc praefert Titulum: *Expositio hugonis postillatoris super Proverbia Salomonis.* Ita deinceps in *Ecclesiasten,*